



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

234. An iudex sæcularis possit cogere laicos ad condonandam obligationem iuramenti metu, aut iniuria extorti? Et an quando iudex laicus potest hoc efficere, poterit etiam iudex Ecclesiasticus? Ex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

De Immunit. Eccl. Resol. CCXXXIII. 217

Reges illam legem constituisse, ex privilegio Summi Pontificis, quod licet modò non extet, sufficit extare illius famam tempore immemorabili per effectum, & usum privilegij probatam. Dicendum est igitur, quòd quoties statutum facit mentionem de iuramento, etiam si hoc efficeret propter bonum finem, & bonum commune, est contra iurisdictionem Ecclesiasticam. Vnde, si statutum præciperet, ne minores, & mulieres possint contrahere, non servata certa solemnitate, & contractus aliter factus sit nullus, presumptus, & simulatus, atque presumendum minores dolo inductos ad contrahendum, etiam si iuraverint, non valet: quia disponit de iuramento per indirectum, imò & de directo, cum faciat expressam mentionem de iuramento. Possit tamen dictum statutum sustineri, concurrentibus duobus, de quibus Martha *vbi supra* n. 28. Sed de hac quæstione vide *infra*.

RESOL. CCXXXIII.

An princeps secularis possit relaxare obligationem iuramenti præstiti?
Et an saltem, si non possit proprie iuramenta relaxare, possit tamen condonare, & remittere obligationem, quam pars ipsa, cui iuratur, concedere potest? Ex part. 1. tract. 2. Ref. 115. aliàs 114.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondent' aliqui, quos refert Couarruias *in relect. de iuram. p. 1. §. 3. n. 10.* & ex recentioribus Theologis docet etiam hanc sententiam Molina *de iust. tom. 1. tr. 2. disp. 249. vers. dixi deinde.* & cum aliqua formidine Raphaël de la Torre *in 2. 2. tom. 2. q. 89. a. 9. dub. 5.* Vide etiam Layman *in Theolog. moral. lib. 4. tract. 3. cap. 11. num. 10.*

2. Sed contrariam sententiam omnino affirmandam esse censo: & ita docet Ledesma *in summ. tom. 2. tr. 11. c. 4. dub. 3.* vbi sic asserit: [El Principe seglar no tiene autoridad para relaxar los iuramentos de sus subditos, ni para quitar su efecto. Esta conclusion es comun entre los Theologos. La razon es porque el iuramento pertenece derechamente à la virtud de la Religion, y su vinculo es cosa espiritual, y en orden à las cosas espirituales no tienen autoridad los Principes seglares.] Hanc sententiam etiam tenuit Barbosa *in l. 1. p. 1. n. 77. ff. solut. matr. & Ioan. Gutierrez. in auct. Sacram. pub. n. 46. C. si aduers. vendit. Azuedus in Recopil. tom. 1. lib. 5. leg. 11. n. 3.* & alij.

3. Verùm est, quòd aliqui notant, quòd licet Princeps secularis non possit propriè iuramenta relaxare; potest tamen condonare, & remittere obligationem, quam pars ipsa, cui iuratur, concedere potest. Et ita docet Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 3. c. 22. n. 15.*

RESOL. CCXXXIV.

An index secularis possit cogere laicos ad condonandam obligationem iuramenti metu, aut iniuria extorti?
Et an quando index laicus potest hoc efficere, poterit etiam index Ecclesiasticus? Ex part. 1. tract. 2. Resol. 116. aliàs 115.

§. 1. **D**vbius manet Felinus *cap. cum sit generale. n. 7. de foro compet. an possit Index laicus: sed affirmatiuam sententiam docet Azorius tom. 1. lib. 11. cap. 9. §. 6. in fin. Auendaño in cap. pratorum. p. 2. c. 27. n. 15.* Molina Theologus *de iust. tom. 2. tr. 2. disp. 149. vers. aliud accipe.* Afflictus *decis. Neapol. 263. n. 3.* Gutierrez *in auct. Sacram. pub. n. 160. C. si aduers. in vendit.* & alij.

Tom. IX.

2. Verùm hæc opinio limitanda est: nam, quando constat de recipientis turpitudine, tenentur ipsum relaxare, si verò dubium adest, solus Index Ecclesiasticus erit competens, non autem laicus. Ita Tabiena *verb. iurare. q. 20. num. 21.* Afflictus & Molina *vbi supra*, Abbas *in c. 2. de iureiur. n. 3.* & *ibidem.* Alexander de Nouo *n. 3.* cum alijs. Et quando res, circa quam præstitum est iuramentum, alioquin pertinet ad forum sæculare: nam, si ad ipsum non spectat, non potest Index laicus de tali iuramento cognoscere, ex Molina *loco citato.*

3. Notandum est etiam, quòd quando Index laicus potest hoc efficere, poterit etiam Index Ecclesiasticus: & idè iurans potest relinquendo Iudicem laicum, adire Iudicem Ecclesiasticum, vt compellat creditorem remittere huiusmodi iuramentum. Ita habetur *in cap. 2. de iureiur.* & ita docet ibi Abbas *n. 3.* Alexander de Nouo *n. 8.* & Couarr. *var. lib. 1. c. 4. n. 5.* Sed ad alia transeamus.

RESOL. CCXXXV.

An Principes seculares non tantum possint resistere iuramento, ita vt prohibeant, ne fiat, sed etiam possint impedire effectum illius, ita vt si fiat, nullatenus sequatur obligatio?

Et quid circa hoc in Regno Cathalonie, & de ordinatione Lusitanæ prohibente apponi iuramentum in villo contractu?

Et an non solum index laicus ad obseruationem iuramenti super contractu, vel simili negotio interpositi, laicos suos compellere potest, sed etiam index Ecclesiasticus, ita vt in tali casu materia iuramenti sit mista?

Et an illa leges irritantes contractum solum propter adiectionem iuramenti sint saltem indirectè contra libertatem Ecclesiasticam? Ex part. 1. tract. 2. Resol. 114. aliàs 113.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docent nouissimè Pereira *de manu regia, cap. 19. per tot.* & alij penes ipsum, quibus ego addo ex Theologis Molinam *de iust. tom. 1. tract. 2. disp. 147. n. 13.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 3. c. 22. n. 10. & 11.* Valquez *de testam. cap. 3. dub. 2.* Pontium *de matrim. lib. 12. c. 8. §. 5. n. 39.* & Layman *in Theol. moral. lib. 4. tr. 3. c. 11. n. 9.* Sed aduersus Theologos pugnant in hac quæstione præstantissimi Iurisperiti, vt Martha *de iurisdic. part. 4. cent. 1. cas. 62.* & nouissimè Molinus *de ritum nupt. lib. 1. compar. 19. n. 69.* qui excusat huiusmodi statutum in Regno Cathalonie; quia leges municipales in illo Regno conduntur in Comitibus generalibus, non solum à laicis, sed ab Ecclesiasticis. Et Ioan. Valerius *in differentijs vtriusque fori, verb. iuramentum. differen. 9.* reprobatur quandam ordinationem Lusitanam, prohibentem apponi iuramentum in villo contractu, eò quòd fuerit lata non fauore publico, nec in bonum publicum; sed fauore tantum regio, & fauore eius iurisdictionis; ne videlicet, ratione iuramenti, contrahentes traherentur ad forum Ecclesiasticum, *intra cap. noui. de iudicij.* Et dato, & non concessò, quòd opinio contraria esset vera; tamen, vt benè obseruat Alexander *lib. 1. cons. 59. num. 9.* Couarruias *in cap. quamuis pactum. p. 2. §. 1. num. 8.* Barbosa *in leg. 1. §. 1. num. 70. & 71. ff. solut. matr.* Parladorius *rer. quorid. lib. 2. cap. 4.* Valerius *vbi supra* & alij, possunt Principes resistere iuramento, & prohibere, ne fiat, non tamen possunt ita impedire, vt si iuramentum efficiatur, nulla sequatur obligatio: idè in tali casu contra Sanchez, & alios, iuramentum est obseruandum, donec relaxet Episcopus. Et ita hanc sententiam ex Theologis docet P. Suarez *de Relig. tom. 2. tract. 9.*

Sup. hoc supra in Ref. 233.

T

tract. 9.